



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. L. De Confessione Sacramentali, per quam anima peccatis mortalibus
liberatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

lis erit, qui probè id considerans, non tristitiam, doloremque sentiat, quod, quantum in ipso est, Christum rursus crucifixerit? quis lacrimas cordis non profundat, quod eundem contempserit? Ad hanc sanctam tristitiam exhortatur nos S. Chrysoftomus his verbis: *a Mœreamus igitur mœrorem gaudij auctorem, & ne gaudeamus gaudium, aegritudinis parentem. Emmittamus lacrimas multum voluptatis seminantes, & non rideamus risum, qui stridorem nobis dentium gignat. Afflictemus nos afflictione illâ, unde requies existit; & ne delicias quæramus, ex quibus arumna, & dolor, ad breue tempus in terrâ laboremus, ut perpetuò nos oblectemus in cœlis.*

a D. Chr. serm. 15. ad Philipp. c. 4.

*De Confessione Sacramentalis, per quam
anima à peccatis mortalibus
liberatur.*

C A P. L.

Aliud remedium, quo anima à peccatis commissis se liberat, & ad ea non

non ampliùs committenda præparat, est Confessio Sacramentalis. Nam in Confessione homo peccator suscipiens defensionem honoris Dei, quem offendit, fit accusator sui ipsius, accusando culpas suas, seque ad sustinendam pro eis pœnam offerendo. Et suscipiens quoque defensionem iustitiæ Dei, fit contra seipsum Aduocatus, defendens causam Dei, & arguens, condemnansque suam. Et ad hunc finem allegat rationes, ac ius, quod Deus contra hominem habet, & obligationes, quas homo habet seruiendi Deo, quod sit infinitæ Maiestatis, ac bonitatis Dominus, quodque creârit ipsum, conseruârit, ac redemerit, & propter innumera alia beneficia, quæ in eum cõtulit. Et declarat ingratitude, ac malitiam, quam incurrit, quia tot peccatis Dominum omni reuerentiâ tam dignum, & cui tantoperè obstrictus erat, offendit. Tunc videns Deus, hominem susipientem diuinæ suæ gloriæ defensionem, seipsum accusare, & arguere, iustissimamque causam suam

defendentem, aduocatum contra se-
met agere, motus ab infinitâ suâ mise-
ricordiâ absoluit hominem à peccatis
suis, ab ijsque liberat, & eripit eum à
catenis, ac vinculis, in quibus erat, hoc
est, ab obligatione, quam habebat, ad
æterna tormenta, eundemque defen-
dit à Dæmonibus, reprimendo illos,
nequid ei faciant mali. O ineffabilem
Dei pietatem! ô suauissimam miseri-
cordiæ legem, nunquam antehac in
mundo vsitatam, nec auditam! Siquis
reus coram terrenis iudicibus delictû
confitetur, seque de eo accusat, statim
iudex sententiam in eum fert, ipsum
condemnat, & tortoribus tradit, vt in
eo pœnam, quam meretur, exequan-
tur: & Deus supremus viuorum, ac
mortuorum iudex, quando homo in
suâ Confessione delicta sua manifestat,
seque de illis accusat, non condemnat
ipsum, sed absoluit, non æternis, vti
merebatur, supplicijs eum subijcit, sed
ab illis liberat. Neque solùm à culpis,
pœnisque æternis eum liberat, sed etiâ
sententiam pro ipso pronunciat, quâ
eum

eum in integrum restituit omnium bonorum, quæ suâ culpâ amiserat. Et iubet ei diuinam gratiam, & adoptionem filij Dei, pulchritudinem, splendorem, dignitatemque spirituales, quam ante peccatum habebat, restitui. Neque hoc contentus, in præmiū, quia se accusauit ipse, condemnauitque, dat ei æternam felicitatē, & gloriam. Hæc est diuina misericordia, quam Michæas Propheta prædicat, ac laudat, dicens: *a Quis, Domine, similis tui in potentiâ, & bonitate? qui aufers iniquitatem, dans illius poenitentiam, & transis peccatum non puniendo, quia id condonas. Hic Dominus propitius nobis, & fauens erit, quoniã volens misericordiam est: deponet à nobis iniquitates, quæ premebant capita nostra, & nobis dominabantur, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra; vt nunquam amplius appareant. Hoc, quod antiquitus aliquo modo executioni mandatum fuit, in Confessione Sacramentali perfectè*

Bb 4

fit,

a Mich. 17. 18.

fit, atque impletur. Ibi ostendit Deus potentiam, & bonitatem suam, tollendo peccata, & animas iustificando: Ibi facit, vt peccata tam integrè consumantur, destruanturque, quàm si nunquam fuissent. O ineffabilis bonitas, ac misericordia Dei, qui tale Sacramentum instituit! Quis non amet confessionem, quis non totis eam visceribus desideret, quis non amplectatur, exerceatq; illam magno cum affectu, ac deuotione, quandoquidem Deus tam mirabilia in eâ operatur, vt pro imputandis reo confitenti culpis, easdem tollat, & ignoscat, pro aternis, quas ille meretur, poenis, spiritualia dona, bonaque cælestia ei tribuat, & pro sententiâ illâ, quam audire mereretur: *Imaledicte in ignem aeternum*; audiatur suauissimâ illam sententiâ, quam Deus per suum ministrum pronunciat: *Ego te absoluo*. O quantæ gratitudinis Deo propter hoc beneficium debitor sumus! ô quantas ei gratias, laudesque continenter idcirco agere debemus! a Cum esset Ieremias in pro-

a *Ier. 38, 6.*

fundò lacu luti, seu palude, quò cum Sedecias rex proijci iusserat, venit Abdemelech vir probus, motusque misericordià, extraxit inde eum quibusdam funibus, & pannis, & quàm maximà pòtuit suauitate. Magni hoc beneficium sibi ab Abdemelech factum Ieremias æstimavit, ingentes ei propterea gratias egit, magnasque à Deo misericordias eidẽ impetrauit. ¶ Iam si peccatorem in profundissimo peccatorum lacu, lutoque immersum, cum certo pereundi, & æternùm moriendi periculo, Christus inde eripit, motus infinità suà misericordià, tam facili, & suavi medio, quàm est Confessio, ereptumque statuit in regione vitæ, & paradiso voluptatum, qui est status gratiæ, & ingressus glorię; quanti homo hoc beneficium æstimare, quantas Deo gratias idcirco agere, quàm illum ex corde laudare debet, cum Dauide dicens: *b Benedictus sit Deus meus, & exaltetur, ac glorificetur iste Deus, author salutis meę, qui liberauit*

Bb 5

rauit

a *L. n. 39. 18.* b *Pf. 17. 47.*

travit me de inimicis meis iracundis, &
 ab omnibus cum furōre insurgentibus
 in me: propterea confitebor tibi, Domine
 mi, & gratias, laudesque perpetuas di-
 cam, nomen tuum in omnibus mundi
 nationibus celebrando. Ita hoc benefi-
 cium, ac remedium Sacramentalis
 Confessionis magni fieri, gratumque
 haberi oportet. Et qui peccarunt, ad-
 modum necesse habent hoc remedio
 quamprimum uti, quo de peccato
 exeant, nec id vel vnico die, imò ne
 horā quidem differre. Quamuis enim
 verum sit, quod diximus, ad exeun-
 dum de peccato, contritionem cum
 proposito confitendi sufficere, tamen
 res adeò difficilis, & rara est, contri-
 tionem ita constitutam cum omnibus,
 quæ ad eam requiruntur, necessarijs
 partibus habere, vt cum ordinarijs au-
 xilijs perpauca peccatores sint, qui ad
 illam accedant. Nam communiter ho-
 mines in principio non mouentur ad
 deserenda peccata amore Dei, sed ti-
 more damnationis suæ, vel desiderio
 salutis; ideoque omninò decet illos,
 qui

qui
 habe
 ritus
 amp
 lam
 etian
 tion
 uear
 ficat
 sign
 den
 impe
 niam
 ratio
 conc
 ne Sa
 ficat
 tar
 to pa
 foli
 pec
 per
 vt
 que
 ret

qui peccârunt, statim confiteri: quia habentes dolorem de peccatis præteritis, & firmum propositum nunquam amplius peccato mortali, propter ullam rem huius mundi, consentiendi, etiamsi principaliter timore damnationis suæ, vel salutis desiderio moveantur, veniam peccatorum, & iustificationis gratiam consequentur. *a* Ita significavit Sacrum Concilium Tridentinum, dicens, *Illam contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu concipitur, donum Dei esse, & quamvis sine Sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponere. Nec solum decet hominem, statim atque peccat, hoc remedio uti, sed magno perè etiam ei convenit, persæpè illo uti, confitendo quavis Dominicâ, & quovis die festo, ut se à peccatis liberet, in Dei gratiâ conseruet, & saluus*

B b 6

fiat.

a Conc. Trid. s. 14. c. 4.

fiat. Ad hoc enim necessarium est, ut homo in bonâ vitâ vigilet, semperque per bona opera dispositus, & præparatus sit; quemadmodum Christus nos omnes admonet, dicens: *a Estote parati, quia quâ nescitis horâ, Filius hominis ad faciendum de vobis particulare iudicium venturus est.* Ac tanti refert hominis semper paratum esse, ut hinc tota eius salus dependeat. Nam totam securitatem, certitudinemque moralem, quam homines in hac vitâ habere possunt, se fore saluos, omniaque bona iudicia, quæ habere possunt, se ad cælum esse prædestinatos, habent illi homines, qui semper in bonâ vitâ vigiliant; quacunque enim horâ mors veniat, reperiet, eos in bono statu, & in æternam vitam transmittet. Et totum damnationis periculum habent ij homines, qui aliquando oscitant, & negligentes sunt in bonâ vitâ, & in peccato mortali dormiunt; cum sit res admodum contingens, mortem temporalem illo tempore venire, eosque ad

Infer-

a *Matth. 24. 44. Luc. 12. 39.*

Infernum demittere. Hoc declarauit
Christus in Euangelio; dicens: *a Beatus ille seruus, quem cum uenerit Dominus mortis tempore, inuenerit benè occupatum, & officium suum fideliter facientem: Amen dico uobis, quoniam super omnia sua caelestia bona constituet eum dominum, dans illi ea in obsequiorum ipsius præmium. Si autem malus seruus fuerit, & dixerit in corde suo: moram facit Dominus venire, nec tam citò ad iudicandum ueniet; ideoque ausus fuerit peccare, peruersis voluptatibus, & iniustitijs se addicendo, ueniet Dominus per mortem visitare eum in die, quâ non sperat, & horâ, quâ ignorat; & diuidet eum à bonorum societate, & in locum damnatorum, qui est Infernus, ubi uaria, æternaque tormenta sunt, detru-
det. Iam ut homo euadat hoc pericu-
lû, ne scilicet à morte in peccato mor-
tali deprehendatur, utque consequatur hoc bonum, id est, à Deo benè præ-
paratus inueniatur, efficacissimum est
remedium, frequenter consueri. Siqui-*

B b 7 dem

a Matth. 24. 46. Luc. 12. 43.

dem per confessionem ritè factam homo se liberat à peccatis præteritis, & vires, vigoremque ad non amplius peccandum, ad conseruandum se in bono statu, vtque semper vigilans, & benè paratus sit, acquirit. Ad hæc lucrum, quod per quamlibet legitimam confessionem fit, pretiosissimum est; quia per illam gratia serui Dei, omnesque virtutes infusæ, ac dona Spiritûs Sancti efficaciter augentur. Et præterquam quod ipsa per se opus sit valde meritoriû, causa est, vt omnia, quæ facit, bona opera propter maiorem gratiam, maioremque Dei amorem magis meritoria, & æternâ gloriâ digniora existant. Atque vt confessio rectè fiat, & hos diuinos effectus operetur, debet habere has circumstantias, nimirum, vt sit integra de omnibus peccatis mortalibus, omnibusque ijs, de quibus iure dubitari potest, an talia sint; & si voluntariè vnum ex his confiteri omittit, præterquam quod confessio infructuosa est, ipse committit grauissimum delictum sacrilegij, quod

quod animā ingenti damnatione adstringit. Cum hac integritate ut confessio fiat, oportet imprimis cogitare peccata secundum tempus, à quo ultimo confessus est, ac secundum negotia, & officia, quæ administravit. Est item ad legitimam confessionem necessarium, ut ex corde omnium suorum peccatorum poenitente procedat, utque priusquam homo absolutionem percipiat, habeat illum dolorem, qui Attritio dicitur, & firmum illud propositum, non amplius ob ullam rem huius mundi peccato mortali consentiendi. Requiritur etiam, ut restituat rem, & honorem, cuius alijs debitor est, idque quamprimum potest, faciat: Et idem intelligitur de condonandis iniurijs, ac reconciliatione suorum inimicorum, cum vox Christi sit: *a Dimitte, & dimittemini: si non dimiseritis hominibus, quas accepistis iniurias, nec Deus dimittet vobis peccata vestra.* In hunc modum, & cum his circumstantijs facta, frequentataque confessio

ope-

a Luc. 6.37.

operatur spirituales, quos diximus, effectus tollendi peccata commissa, ea, quæ adhuc committi possent, impediendi, hominē in diuinā gratiā conseruandi, & meritum bonorum operum, æternæque vitæ præmium augendi.

Ostenditur, quomodo nobis ad Christi crucem confugiendum sit, ut à peccatis nos liberemus.

C A P. LI.

VNum ex efficacissimis, Deoq; gratissimis remedijs nos à peccatis liberandi est, per considerationem, & affectum cordis ad crucem D. N. IESV Christi confugere, aspiciendo Dominum ei affixum, considerando res, quas in illâ nobis manifestat, ac tradit, & petendo ab eo per virtutem passionis ipsius, fauorem, & auxilium ad corrigendos nos à peccatis præteritis, & fortiter resistendum omnibus tentationibus inimicorum, qui nos ad alia de nouo committenda prouocant,

Cum